

EPITHALAMIVM IN HONO

REM IVVENIS ORNATISSIMI JOHANNIS FABRITII ET HONESTISSIMAE
Virginis Madalena Schobere, Per Iacobum Kibelium.

O hymenæ hymen ades huc, ô pronuba Iuno.
Nam dabitur pulchro uirgo uenusta uiro.
Sparcite iam flores iuuenes, pueriq; puellæ,
Et matrona senex, cum sene iuncta nurus.
Cingite purpureis quisquis sua tempora fertis,
Dulcis hymenæ psallite uerba dei.
Quin etiam Veneris hylares assumite uultus,
Perq; uices pedibus pellite quisq; solum.
Tybia iuncta tube spatiofa per atria spiret,
Claret 10 quisquis gestit adesse choris.
O hymenæ hymen ades huc, ô pronuba Iuno,
Nam dabitur pulchro uirgo uenusta uiro.
Sponsus adest, iuuenum quo non ornatior ullus
Artibus ingenuis, moribus atq; bonis.
Palladis exhausit doctos de fonte liquores,
Cultor & in primis artis Apolline,
Qui bifidi dudum numerosa uolumina iuris
Euoluit, memo ri singula mente tenens.
Nec didicisse iuuat, cupit hac prodeesse clienti
Arte, uel aethereas hac petit ire domos.
Patria Fabritium uocat hunc Tyllinga beatum
Fortuna, & generis prosperitate sui.
O hymenæ hymen ades huc, ô pronuba Iuno,
Nam dabitur pulchro uirgo uenusta uiro.
Membra Cupidineo fac illius igne peruras,
Dux Veneris iuste, legitimiq; thori.
Ecce uenit noua sponsa, uelut uenit orbe remoto
Phœbus, ut aurore nuntius ora tenens
Ecce uenit Madalena, genus de stirpe Schobera
Anglopolitana nomina magna gerens.
Lilia si misces roseis cum floribus alba,
Attamen illius pulchrior est facies.
Sunt oculi, quales Erycina optasset habere.
Inter ut insignes lis fuit orta deas.
O hymenæ hymen ades huc, ô pronuba Iuno,
Nam dabitur pulchro uirgo uenusta uiro.
Ferma papillarum, lepidissima forma genarum,
Frons hylaris, buxo splendidiorq; coma,
Gratia quæ linguae? uerborum gratia qualis?
Illi in labris blanda Suada sedet.
Mentum, auris, nasuq; decens, & eburnea colla,
Colla uel hiberna catididiora niue.
Vera loquor, Venerè non sic depinxit Appelles,
Nor Veneris uiua gratia tanta fuit.
Pes, digitus, formosa manus, teretesq; Lacerti,
Sunt humeri quales dictus habere Pelops.
O hymenæ hymen ades huc, ô pronuba Iuno,
Nam dabitur pulchro uirgo uenusta uiro.
Omnia ne dicam uenter? Sed dicere honestas
Non sinit ulterius, uirginitasq; rei.
Sit satiis hoc, Helenam spetiei munera tanta
Non apud argolicos obtinuisse uiros.
Non sic Euphrosine uel uerno tempore uernat,
Alterno uiridem dum pede pulsat humum.
Qui memor ait iuuat tria molli, dura, uel aloa.
Vel tria quid prodest enumerare nigra?
Cum quot in occasu, uel sunt oriente puellæ,
Hec facile cunctas exuperare queat.
Non nimium macilenta, nimis nec obesa puella,
Illi in medio corporis est habitus.
O hymenæ hymen ades huc, ô pronuba Iuno,
Nam dabitur pulchro uirgo uenusta uiro.
Hunc si diuorum genitor spectasset ab alto,
Protinus aetherea lapsus ab arce foret.
Aurum pro Danae, non pro Ganymede uolucri,
Pro Læda factus, nec que fuisset olor.

inachidem tergo nunquam uexisset adulter,
Amplius haud cœli sustinuisse onus.
Hanc si nouisset poetarum maximus ordo,
Exemplar formæ Cynthia nulla foret.
Lesbia nulla foret, nympharum nulla superstes,
Quæ celebraretur carmine nulla foret.
O hymenæ hymen ades huc, ô pronuba Iuno,
Nam dabitur pulchro uirgo uenusta uiro.
Deianira nihil cur nam referetur haberet,
Nec tot spreuisset Hippodamia procos.
Nec frustra toties Cyclops cantasset ab Aethna
Nobilior pomis ab Galathea ueni.
Iudicio Paridis Veneri prælata fuisset,
Staret & huc hodie gloria Dardanidum.
Cum nec forma deæ par sit Iunonis, & huius
Nata cerebro quæ dicitur esse Iouis.
Munera naturæ complectitur omnia sola hæc
Non est in toto corpore menda mali.
O hymenæ hymen ades huc, ô pronuba Iuno,
Nam dabitur pulchro uirgo uenusta uiro.
Nec minor illius, quæ formæ est mēritis honestas,
Et morum probitas, iuncta pudicitia.
Ut quoq; uirtutum Lucretia cedat honori,
Quæq; pudicitia Biblia nomen habet,
Et quæ per quatuor fertur quinquennia uiuo
Orba uiro, uiduo concubuisse thoro.
Omnibus ac ucluti formoso corpore præstat,
Sic quoq; uirtutum laudibus illa prætit.
Simplex munditijs, cultu, sermone pudico,
Indulgens, facilis, blanda, benigna, decens.
O hymenæ hymen ades huc, ô pronuba Iuno,
Nam dabitur pulchro uirgo uenusta uiro.
O nimium felix quater, & ter spose beate,
Cui licet hanc Zonam solucre uirginem,
Cui datur & succi plenos decerpere flores,
O tibi quos lusus uxor amica dabit.
O digno coniuncta uiro, dignaq; puellæ
O coniuncte, dij, sic placuisse reor.
Tu quicunq; faues studijs, & rebus honestis,
Hæc mecum tacita mente precare tua.
Fœdere felici iungantur corpora eorum,
Faxis hymen, quorum pectora uinxit amor.
Hoc annosa rogit mulier, morosus & alter
Coniunx hoc iuuenum loeta ceterua cupit.
Ad nostras igitur uoces descendere rogamus,
O hymenee hymen, ô hymenee hymen
Sparge marite nuces, coelo micat Hesperus, aula et
Iam tibi pandetur, sparge marite nuces,
Iam crepere fores, tediq; iugalibus astat,
Vxor, & ingreditur Loeta cubile tuum.
Hinc procul Eumenides, procul hinc Cererisq; p
Cerberus hic nullū debet habere locū (pag),
Sit procul hinc fatalis auis uox atra Bubonis,
Sint procul hinc Hærebi, noxia turba, dij.
Sed coelo potius descendat pronuba Iuno,
Horum sit potius lusibus apta Venus.
O hymen ô hymenæ faue iuuenilibus annis,
Connubij pereat ne male dulce iugum.
Hos Genius mensa, dignetur Iuno cubili,
Ut bene præcreat tempus utrisq; suum.
Perpetui maneat animi cum corpore nexus,
Unamimes uiuant secula longa simul.
Et fœcunda domus multa, & cum prole uenusta
Illis contingat, iamq; sit aucta precor.
Sed iam tempus adest digitis compescere lingua,
Ostia iam clausa est, lusimus usq; satis.

